NARRATIO RERVM MEMORABILIVM,

QVÆ PROPTER ADVENTVM Christianissimi Inuictissimique *Henrici* III *Franciæ & Poloniæ Regis*, a totius orbis florentissima Venetorum Republica factæ sunt.

Per Claudium Dorronium Parisinum. V. I. D.

In labore gloria.

VENETIIS, M D LXXIIII.

Constat. III. 66. Aug. Vindel. 74

BENEVOLO LECTORI

Claudius Dorronius. S. D.

VVM ego Venetijs essem eo tempore quo Henricus III. Franciæ & Poloniæ Rex Christianissimus atque Inuictissimus, ab amplissimo florentissimoque Venetorum Senatu exceptus est, videremque propter tanti principis aduentum eas res fieri, quarum similes, nec in historijs maiorum legimus, nec a parentibus accepimus, nec ætate nostra vidimus: non dubitaui omnia scribere, eaque ad nostros mittere: existimans eos quibus hæc videre non contigerat, ex hac narratione aliquam percepturos delectationem. Sed cum vir magnæ prudentiæ & authoritatis, eximiæ doctrinæ, & singularis eloquentiæ, Dominus Pibracus (quem boni doctique omnes tanti faciunt, quanti paucos mortalium) non ad solos Francos tam nouæ, & inauditæ rei lætitiam pertinere iudicaret, verumetiam communem Polonis in Henrico rege gloriam esse putaret: suasit, vt quæ Gallicè scripse-

ram, Latina facerem, vt Poloni Latinæ linguę non ignari, rem totam intelligere possent, & amplissimo Venetorum Senatui, florentissimæq. Reipub. ob tam singularem in Henricum regem beneuolentiam, ob tam propensam in eum voluntatem, ob tantos, tamque eximios honores delatos, gratias haberent, atque cum Francis beneficium agnoscentes, referre cogitarent: Dedi igitur operam, vt clarissimi viri suasioni, & quorundam expectationi satisfacerem: atque hæc quæ ab hinc triginta diebus in lucem emittere conabar, vbi primum edere concessum fuit, tibi, si quando otio abundares, legenda proposui. Quæ si grata esse intellexero, ad maiora nostra industria excitabitur: Viue, Vale.

Venetijs Calendis Septembris 1574.

In labore gloria.

NARRATIO.

VVM ex suo regno Poloniæ in Franciã tendens, Henricus tertius Franciæ & Poloniæ Rex Christianissimus & Inuictissimus, ad totius orbis florentissimum amplissimumque Venetorum Senatum litteras dedisset, quibus significabat se per hanc ciuitatem iter facturum, vt regno Franciæ confœderatam Rempub. visitaret: missus est illicò a Senatu Viennam vsque, vir maximi ingenij & summæ prudentiæ Bonritius, vt denonciaret, quam gratus et iucũdus tanti Principis aduentus futurus erat; præterea de cuiusque diei itinere Senatum certiorem faceret, admoneret etiam omnes præfectos vrbium, per quas Rex iter facturus erat, vt omnia ad tantum tamque potentem regem excipiendum necessaria diligentissimè parari curarent. Significatum quoque fuit singulis equitum & lanceatorum ductoribus, vt cum suis obuiam regi procederent: Deputati nobiles qui sumptibus publicis alerent comitatum regium, currus & vehicula dari curarent, prospicerent denique, ne quid tum regi, tum Francis omnibus deesset. Cum vero Rex huius Reipubl. fines ingrederetur, Hieronymus Mocenicus, vir fortissimus & clarissimus, cum quingentis equitibus, & octingentis peditibus armatis, regem rerum gestarum memoria apud omnes nationes percelebrem, excepit, exceptumque fidelissimè est comitatus. Præter hos miserat Senatus quatuor summæ tum authoritatis,

tum,

tum ſapientiæ viros, Andream Badoarium, Ioannem Michaelem, Ioannem Superantium varijs legationibus functos, & Iacobum Foſcarenum, qui anno ſuperiore claſſi Venetorum præfectus fuerat: Hi cum prope Venſonam, totius Reipub. nomine regem excepiſſent, copias obtulerunt, quibus, ſi ita vellet, in regnum hæreditarium deduceretur, facultates etiam quibus vt ſuis vteretur. Neque profecto, ſi pater fuiſſet potuiſſent maiore cum reuerentia, neque, ſi frater maiore cum beneuolentia, neque, ſi princeps, cum maiore fide & alacritate eum excipere. Et non ſine cauſa tum Franci, tum Poloni ſe fœlices iudicare poſſint: Illi quidem, quod poſt immaturam Chriſtianiſſimi optimique regis Caroli mortem, ad hunc regnum Franciæ iure hæreditario deuenerit: Hi vero quod inter tot principes vnum elegerint in regem, cuius ſingularis virtus & magnanimitas effecit, vt omnes populi eum ament, colant, reuereantur ſuſpiciant: Quod cum ex ſua in Poloniam profectione (in qua omnes Germaniæ principes & beneuolos & munificos ſenſit) ſatis manifeſtum fuerit; tum vel maxime ex ſummo illo honore, quem huic Venetias ingredienti detulit Venetorum Reſpub. facilè comprobabitur. Vt vero nihil eorum omittamus, quæ notatu nobis digniſſima viſa ſunt (non pauca enim prætermittimus, quæ nec noua ſunt, nec præter morem excipiendorum principum) altius res erit repetenda; neque tantum narranda erunt ea, quæ Venetijs, verum etiam quæ in mari facta ſunt. Die decimo ſeptimo menſis Iulij cum Rex Moranum venire decreuiſſet (quæ vrbs ſita eſt in ſinu maris Adriatici a Venetijs non diſtans duobus milliaribus;) ei Margueram vſque (quod oppidulum eſt

in lit=

in littore maris quinque milliaribus ab urbe) obuiam venit vir Illustris imprimis et magnificus Ioannes Corrarius, apud fælicis memoriæ regem Carolum, & nouissimè apud Inclytum Imperatorem legatione functus: hic indutus erat veste longa ex panno aureo. & qui cum eo erant, septuaginta Senatores, induti vestibus Senatorijs, ex serico raso, uel vngulato rubro coccineo. Omnes ibi sub porticu regem operiebantur: quem ubi aduenire intellexerunt, obuiam profecti sunt, eumque ex quadrigis descendentem Corrarius excepit, atque ad pontem deduxit ubi nauigiola erant tria, quorum unum coopertum erat panno aureo, sub pedibus idem ornatus: alia duo cooperta serico heteromallo (sericum villosum uel uillutum uulgo dicimus) alterum quidem villoso puniceo, alterum nigro. Veneti hæc nauigiola uel cymbulas Gondulas appellant: est uero gondula nauis quoddam genus, quatuor ad summum scalmorum, in anteriore & posteriore parte angustum, in medio latum & instar lecticæ coopertum, cuius Venetijs frequentissimus est usus: nam omnes per ductus maris, quos canales appellant, his gondulis uehuntur, & unaquæque est ferendis quatuor hominibus aptissima, octo etiã commode & sine periculo uehi possunt. Rex eam ex tribus gondulis, quæ ad eum excipiendum præparatæ fuerant, ingressus est, quæ panno aureo cooperta erat, cum eo Dux Ferrariæ, & Dux Niuerniæ. Remiges quatuor induti erant sagis & caligis ex serico raso fuluo, prætexto serico raso puniceo. Quisque Senatorũ gondula sua uehebatur, cooperta serico raso uel ungulato rubro, & sub pedibus ornata tapetis ex Turchia magno pretio comparatis: Remiges in singulis quatuor induti sagis, caligis,

& pi=

& pileolis ſericis uarij cultus ac coloris. Senatores ipſi ſecum deducebant Francos, quibus primas ſedes dabant, illis etiam inuitis (ſunt enim Franci ſua natura faciles vrbani & modeſti. ſequebantur gondulæ aliæ penè innumeræ, coopertæ panno nigro quales Venetijs omnes eſſe ſolēt. In uia ex omnibus inſulis interiectis tormentorum bellicorum eiaculationibus Rex fuit ſalutatus: qui cum Moranum appropinquaret, uideretque ingentem multitudinem uiſendæ Maieſtatis ſuæ deſiderio flagrantē, gondulam ſuam detegi iuſſit, quo facilius conſpici poſſet: tanta eſt in eo Principe facilitas atque humanitas, ut omnes contentos dimittere uellit. Nec eſt imitatus quoſdam antiquos noſtræ Franciæ reges, qui ut diuinitatem quandam redolerent, in pompa & apparatu regio (etiam ſuis) ſemel in anno ſe conſpiciendos dabant, nec poſtea ullis uiſu faciles, aut dictu affabiles erant: quæ grauitas ſupra humanam conditionem eſſe uidebatur. At uero Henricus noſter in maxima dignitate ſe hominem eſſe perpetuo cogitans, quantum grauitas & authoritas regia permittit, faſtus illos fugit: quæ facilitas & modeſtia non modo non detrahit aliquid laudis & exiſtimationis, uerum potius multum gloriæ addit. Quotquot eum tum uiderunt, admirati ſunt nondum uiginti quatuor annos natum principem tam fæliciter in Francia exercitus duxiſſe, tot prælia commiſiſſe, ex quibus uictoriam reportauit: tot urbes obſediſſe, quas uel expugnauit, uel coegit leges accipere: tantum ſpecimen uirtutis edidiſſe, ut unus a Polonis ſit iudicatus ad Moſcum frænandum aptiſſimus: tot deniq; tamque præclaras res in bello geſsiſſe, ut cum Iulio Cæſare, Alexandro Magno inuidere non debeat, cum huius facta aut

æquarit,

æquarit, aut certe ſuperarit. Erant Morani, prope palatium Cappelliæ patriciæ familiæ, ordinatæ in figuram creſcentis lunæ quadraginta gondulæ (adueniebat enim Rex in quo cum annis et virtute in dies magis ac magis gloria creſcit) panno ſerico villoſo coopertæ, & ſub pedibus eodem panno ornatæ: Remiges in ſingulis duo, induti ſagis & caligis ſericis, crocei coloris, prætextis ſerico cæruleo. In illis quadraginta gondulis, erant quadraginta iuuenes Veneti, ex antiquiſsimis & illuſtriſsimis familijs lecti a Senatu, vt regi inſeruirent, omnes induti veſtibus longis, ſericis, manichis ſciſsis, & brachijs extra prominentibus: Veſtes coloris erant ferruginei (qui color proximè ad caſtaneum accedit, quem vulgò taneum dicimus) prætextæ ſerico heteromallo hoc eſt villoſo nigro. Thoraces ex ſerico raſo: Denique ſummam in cultu, ſicut in oculis, geſtu, factis, bonitatem, vrbanitatem, modeſtiam præferebant. Erant ante palatium ſuper fundamenta viginti tympaniſtæ, induti ſagis, & caligis ſericis, coloris flaui, & cærulei, cum pileolis eiuſdem cultus: In feneſtra vel podio primæ aulæ viginti tubicines, eodem quo tympaniſtæ cultu ornati: Omnes permixto tubarum, & tympanorum millitarium ſono, regem venientem ſalutabant, qui cum ex nauigiolo, vel gondula deſcendere vellet, quadraginta nobiles deputati, de gondulis deſilientes, maieſtatem præceſſerunt: Lecti quoque fuerant a Senatu, & deputati ad cuſtodiam maieſtatis regiæ, centum loricati & haſtati homines, induti ſagis, & caligis ſericis, crocei coloris, prætextis ſerico puniceo, cum pileolis eiuſdem cultus: Hi a ianua prima, ad aulam regis ſuperbam, & magnificè ornatam ordinati erant: Cum vero

Rex palatium ingrederetur, ex omnibus vrbis partibus cum stupendo æncorum tormentorum strepitu salutatus est.

Die sequenti (qui dies Dominicus erat) a prandio Serenissimus, & Clarissimus Dux Venetorum Aloysius, vir admirabilis prudentiæ & venerandæ senectutis, Moranum venit, indutus veste longa ex panno aureo, cui superimpositum habebat pallium eiusdem cultus, auro clauatum, & in capite Ducis diadema. iam Morani erat vir summæ pietatis & integritatis Sixtus Cardinalis, Legatus a Sanctissimo patre Papa ad hoc missus, vt propensam Papæ in regem voluntatem declararet, atque etiam offerret, vt si qua in re opera eius opus esset, ad eas re[illegible] quas pararet, ea vteretur, policereturque, precibus, consilio, re, copijs adiuturum, neque vlla in re ei defuturum. Cum Duce Venetorum erant legati ex omnibus regionibus, & præcipue a ducibus, Rebuspub. & omnibus Italiæ populis missi, vt regi gratularetur, eique liberam per omnes Italiæ partes profectionem, comitatum, viaticumque offerrent: Illi omnes vehebantur triremi generali & vniuersæ Venetæ classis prætoria: cuius puppis ornata erat serico raso rubro, auro fimbriato, ibique sedes Regia altior reliquis panno aureo pulchra: sub pedibus tapeta maximi pretij: in prora & lateribus (vbi sculpti satiri & bractea deaurata, ænea tormenta, in malo labarum, in antenna signa varij cultus: In vnoquoque ordine viginti octo sedilia, in vnoquoque sedilium sex Remiges, voluntarij non compediti, induti sagis, caligis, pileolis sericis, coloris flaui & cerulei: numerus remigum erat trecentorum triginta sex virorum robustissimorum. Cum hac triremi generali aduectæ etiã fuerant qua-

tuordecim

tuordecim triremes armatæ, atque ornatæ tapetis ac signis, excipiendis Francis, & comitatui regio destinatæ. Sequebantur εἰκόσοροι decem, idest Naues, quas Veneti barcas longas vocant, viginti aut triginta remorum; quarum puppis cooperta erat panno aureo, vel villuto: ordinata in prora tormenta igniuoma: signa, vexilli, ex omni parte vollitabant: trabes depictæ, remiges sericis induti vestimentis varij cultus: his vehebantur decē præcipui Senatores (est enim in illa Repub. decemuiralc consilium maximum) qui in puppi sedebant cum buccinatoribus, & citharœdis. Dux cum Moranum appulisset, ex triremi descendit cum legatis, & Senatoribus indutis vestibus, ex serico raso, vel vngulato rubro, & cum illis Regis palatium ingressus est: quis amplexus, quæ salutatio, quæ oratio omnium fuerit, non est quod quis se a me intellecturum putet: neque enim ita me obtrudere potui, vt audire singula potuerim. Descendens aliquanto post ex cubiculo Rex Christianissimus, antequam triremem ingrederetur, eiaculationibus tremendis omnium æneorum tormentorum, quæ in triremibus, & barcis erant salutatus fuit: atque cum conscendisset, cum eo Legatus Papæ, Dux Venetorum, Duces, Ferrariæ, & Niuerniæ, Legati, & nonnulli Senatores, summo impetu pulsuque remorum triremes, quas εἰκόσοροι, vel barcæ longæ sequebantur actæ sunt versus insulam Lio, quam alij lito appellant: hæc insula distat a Morano milliario & semi, ibique sunt duo castella munitissima in ostijs maris constructa. Ante illam insulam dispositæ erant naues multæ εἰκόσοροι myoparones Lembi, Phaseli, Celoces, Piratice vel prædatoriæ naues, atque etiam nauigiola: Veneti eas

omnes appellant Barcas longas, Fustas, Brigantinas, Palascher=
mos, Gondulas: Iniunctum enim fuerat Communitatibus et om=
nibus Magistris artium, ut aliquod genus nauis armarent, et ob=
uiam regi procederent: quod tanta cum alacritate præstiterant,
vt viderentur omnia profundere velle, non regem honorificen=
tissimè excipere. Omnia nauigia bene constrata erant: puppis
depicta & cooperta, vel panno aureo, vel villoso, vel serico
raso, vel vngulato, ibique sedebant Magistri cum tubicinibus
citharædis, tympanistis. Nullus erat lembus, nulla Scapha, quæ
sex aut septem ænea tormenta in prora non haberet: Remi om=
nes picti: Remigantes sericis induti vestimentis, vel saltem vn
dulatis, varij cultus: Inter remigantes armati milites: ex omni
parte signa & vexilla vollitantia: latera cooperta tapetis orien
talibus, in mare propendentibus: super quæ collocata scuta, cli=
pei, enses stricti: In interiore parte alligata pila, & hastæ, qua=
rum cuspis præferrata prominebat: his omnibus instruebantur
partes, vt quæque eis indigebat. Cum vero Rex appulit ad
pontem in littore exstructum, stratum, & coopertum pannis
ostrinis, ex castellis duobus, triremibus & alijs nauibus, displosa
tormenta bellica: quorum tanta fuit coruscatio fumida, tam ve
hemens eiaculatio, vt fulgurare ac fulminare Deus ipse vide=
retur. cumque ego cogitarem quid per illas tremendas & fre=
quētes eiaculationes significari posset, in mentem venit, aliquan
do duos Scipiones fulmina maxima belli fuisse appellatos, atque
per hanc tonitrui fulminisque imitationem, Venetos significare
velle, hunc regem fulmen esse belli, cui Deus dabit nimis elatos
& superbos homines, qui nec diuinis, nec humanis legibus, se sum

mittere

mittere volunt, prosternere, sicut quatiunt altos fulmina montes. Patriarcha Venetorum ætate, doctrina, & integritate vitæ venerandus, regem ex triremi descendentem excepit: erant etiam ibi sex Diui Martij procuratores, quorum dignitas in ea Repub. est maxima, qui umbraculum portabant, quod cum Rex subijsset deductus est in templum, in ea insula ob eius aduentum ex ligno exstructum, depictum, & ornatum: ad quod iter erat sub arcu triumphali, portam triumphalem melius dicemus, a qua transitus ad porticum amplissimam ad hoc exstructam vt in ipsa Rex exceptus de more aduenientium regum benediceretur a Patriarcha, & Sanctum Euangelium oscularetur. In exteriore parte eius hæc scripta erant.

Henrico III. Franciæ atque Poloniæ regi Christianissimo & Inuictissimo, Christianę religionis acerrimo propugnatori, aduenienti Venetorum Respub. ad veteris beneuolentiæ & obseruantiæ declarationem.

In interiore hæc.

Henrico III. Franciæ atque Poloniæ regi optimo atque fortissimo, hospiti incomparabili, Venetorum Respub. ob eius aduentum fœlicissimum.

Depictæ etiam erant ibi quatuor victoriæ, quæ Regem ingredientem coronare videbantur, tota denique principis vita ibi expressa. altare erat in concauo templi, sanctissima saluatoris imagine & auro ornatum: sedes regia sub thensis ex panno aureo factis. In illo templo, pro salute regis, pro pace & tranquillitate regnorum Franciæ & Poloniæ, solennis & deuota precatio facta est. Interea aduectus fuerat Thalamegus totius

Senatus Venetorum capax, opus quod cum antiquis regum ægypti nauibus posset comparari: Veneti Bucentaurum appellant, eaque naue potissimum vtuntur die Ascensionis Domini, quo Dux & Senatus prope insulam lito vehitur, ibique inueterata consuetudine anulum in mare deijcit, vt hoc cum ciuitate connubio stabili iungat. Hoc nauigij genus Venetijs tantum videtur: habet puppim, quæ erat cooperta serico raso rubro auro fimbriato, vbi sedes regia altior reliquis panno aureo superba, & sub pedibus tapeta serica: Habet etiã prorã, ubi nobiles Veneti regi inseruiẽtes stare debebãt: In medio Senatorum ferme ducentorũ sedes, incluſæ tecto et ex omni parte feneſtratæ: remis agitur atq; habet duos ordines, in unoquoq; ordine viginti sedilia, in singulis sedilibus sex sunt remiges uoluntarij non compediti, qui sicut in alijs triremibus, aut biremibus ab illis qui vehuntur videri non possunt, sunt enim in inferiore parte nauis desuper trabibus intexta. Dicta videtur Bucentaurus a βοῦ & centaurus, quasi magna nauis centauro insignita. De nouo hæc deaurata fuerat, in omni parte expreſsis animalibus, & bracteis ac in prora iustitiæ effigie: tota cooperta erat vngulato rubro, & in malo labarum pendebat: Videbatur profecto hæc nauis agi ad sonũ instrumentorum cuiusuis generis, ita vt facile quis eam comparare posſit cum ea naue, qua Cleopatra vehebatur obuiam veniens Marco Antonio: cuius puppis erat aurea, vella coccinea, remi argentei agitati ad sonum instrumentorum. Hanc Bucentaurum Rex ingreſsus est, cum eo Legatus Papæ, Duces, Venetorum, Ferrariæ, Niuerniæ, Legati omnes, Senatores Veneti, nobiles Franci: præcedebant septem triremes, cum quibusdam nauibus, totidem

ſequebantur, in lateribus ordinatæ aliæ naues: Claſsis diſpoſita in quadranguli figuram. Audiebatur, tubarum, tympanorum, buccinarum, aliorum inſtrumentorum, ſonus permixtus tonitruis bombardarum, quod ſit in eo Principe grauitas comitate condita qualis fuit in Fabio Maximo. Cum urbem appropinquaret, quæ diſtat a lito inſula milliario et ſemi, detecta eſt Bucentaurus, ut Rex ingentem multitudinem populi conſpiceret, atque etiam a populo videri poſſet: Magna fuit Regis admiratio tantam ciui uitatem in ſinu maris ſitam, & propemodum infinitam populi multitudinem, ſuper fundamenta, in feneſtris, ſuper tecta videntis: magna ex altera parte plebis acclamatio tantum principem intuentis, magnus applauſus, magna lætitiæ declaratio: Conclamatum eſt: Henrico III. Franciæ & Poloniæ Regi vita & victoria: quæ vox aliquando Romæ audita fuerat adueniente Carolo Magno: Permulti de rege dicebant. Hunc eſſe alterum mundi miraculum, quod de Othone tertio dictum fuit: alij corporis proceritatẽ laudabant, quam in Saule populus commendauit: Denique ſibi non hominem, ſed Deum aliquem è cælo delapſum videre videbantur: & verè etiam dicere poſſumus, non Catonem tertium è cælo cecidiſſe, ſed Henricum tertium qui Catone nouerit inferior. In tanta pompa, cum tanta acclamatione, Rex per ductum magnum, quem magnum Canalem appellant, vehebatur in Palatium clariſsimæ familiæ Foſcaræ, quod ſitu loci, & magnitudine commodum iudicatum fuerat a Senatu, cui vt nihil deeſſet ad regiè excipiendum comitatum Regium, duo proxima palatia Iuſtinianæ patriciæ familiæ iuncta fuerant. Cum vero appulliſſet ad pontem ante hoc pala-

tium exſtructum, Dux cum amplexatus, rogauit vt ſibi perſuaderet ſe non extera regione, ſed in ſuo regno eſſe, non in aliena ciuitate, ſed in ſua, vbi & imperare poſſet, & omnibus rebus vt ſuis vti. Cui Rex ſapienter reſpondit, ſibi ſatis eſſe quod apud amicos eſſet, non apud ſubditos. Poſt hæc Senatores omnes ordine eius genua ſunt amplexati. Deſcendens Rex ex Bucentauro ingreſſus eſt palatium, bombardis, tubis, buccinis, tympanis, atque etiam omnium templorum campanis, ingentem ſonitum edentibus. Palatium hoc ſuperbum erat & plenum maieſtatis: porticus ornata pannis oſtrinis, aula peripeteſmate, quod nec attalicis cederet, & tota domus obtenta beluatis. Aulæum quinque cubiculorum regiorum ex panno aureo variato diuerſis coloribus, & intexto floribus lily aureis: In ſingulis cubiculis ſedes regia eleuata: menſa ornata ſub Thenſis ex panno aureo factis, & auro atque argento fimbriatis: cubile vnum ſtratũ auro & ornatũ gemmis: Denique omnia & dignitati regiæ & Venetorum magnificentiæ (ſunt enim homines inter omnes alios natura ſua magnifici) conueniebant. Cum vero iam nox adueniret (nam erat hora vigeſimaquarta cum Rex palatium ſuum ingreſſus eſt) ſinguli lampadas quas in feneſtris habebant, quæ varios colores referebant & cæli ornatum, accenderunt, a Sancto Marco, vſque ad Sanctam Luciam, vbi ductus maximus longus duobus milliaribus terminatur: earum numerus videbatur aſtrorum & ſtelarum multitudinem ſuperare: per totam noctem ardebãt & quandiu Rex Venetijs fuit ſerò ſemper accenſæ ſunt. Ego vero putarem hæc facta fuiſſe, vt lætitiam ſummam declararent quam per ignem ſignificabant veteres, & maxime Aegy-

ptij:

ptij: fugatæ enim erant ex hominum animis omnes moleſtiarum tenebræ, vel vt oſtenderent Henricum regem eſſe lampada ardentem, cum virtute ſua omnibus principibus præluceat, vel vt denotarent in vrbe eſſe totius orbis lumen maximum.

Sequenti die remiges a prandio certamen inierunt, quod quidem regata appellatur. Metæ imprimis conſtitutæ ſunt, vt ſcirent vbi longos curſus conflectere, & vnde reuerti deberent. a littore igitur remigare incipiebant tranſeuntes ante regis palatium vſque ad templum Sanctæ Luciæ, a quo perpetuo impetu pulſuque remorum reuertebantur ad metam poſitam in magno ductu ſeu canali, non procul a regio palatio, indeque properabant ad montem ante regium palatium exſtructum, vbi cũ Neptuno tridentifero erat Phorci exercitus, qui tubarum ſono remiganti bus animos addebat: Neptunus vero illis qui priores ad eum appellere poterant ſigna dabat vt a theſaurario publico præmia reciperent, ſicuti conſtitutum fuerat. Nunquam hoc genus certaminis Venetijs tam celebre & ſolenne fuit, vnde factum eſt vt littora omnia læto cætu complerentur: non ante remigabant quam datum fuiſſet ſignum, interim corda pulſabat pauor & laudum arrecta cupido.

Inde vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes
(Haud mora) proſiluere ſuis: ferit æthera clamor
Nauticus adductis ſpumant freta verſa lacertis:
Inſindunt pariter ſulcos, totumque dehiſcit
Conuulſum remis roſtrisque ruentibus æquor:
Tum plauſu fremituque virum, ſtudijsque fauentum
Conſonat omnis aer, vocemque incluſa volutant

Littora. Certatum est duobus, quatuor, sex, octo remis: Raro accidit quin aliquis primus elaberetur, quem alter remis melior consequebatur: Sæpe æquo discrimine duæ naues locum priorem superare tendebant, quem nunc hæc habebat, nunc alia victam præteribat, nunc vna ambæ iunctis ferebantur frontibus. Nihil vero maiorem attulit delectationem quam quod etiam mulieres, nudæ bracchia, in hoc certamen descendere non dubitarunt, & duorum scalmorum nauigiola agere: sed creber anhelitus, artus aridaque ora quatiens, omnes ad commiserationem mouebat: tandem tamen sese proximè insequentes ad Neptunum venerunt, qui binos addidit honores: a cæna aduecta sunt nauigiola ante regis palatium, in quibus erant optimi cantores, qui regis laudes modulatis vocibus decantabant.

Die Martis cum Senatui denunciatum fuisset, altißimum Sabaudiæ Ducem obuiam regi venientem, iam Clodiæ esse, missi sunt Senatores qui cum tribus triremibus eum exciperẽt, quas ipse ingredi noluit, quod se venisse diceret, non vt honorem reciperet, sed vt ex officio potentem regem cum illis honoraret. Cum vero Venetias venisset regem salutauit, qui eum humanißimè medium complexus est. Eodem die Dux Venetorum cum Senatoribus venit in regium palatium, & ad prandium sequentis diei regem inuitauit. Illis præsentibus commædi Itali fabulam egerunt. A cæna Morani ciues vitrorum conficiendorum optimi artifices, barca longa benè ornata, in qua etiam fornacem construxerãt, vecti sunt ante regis palatium, ibique Scyphos, Cyathos, Cantaros, vasa vitrea cuiusque generis, animalia (quod mirum non est cum nauem instructam & castella vitrea facere

soleant)

ſoleant) ſumma arte elaborarunt, rege ex feneſtra artificum induſtriam contemplante. Die ſequenti res, quæ & rege, & talibus artificibus dignæ erant maieſtati obtulerunt: neque labor eorum ingratus fuit, ampla enim præmia iuſſu regis ſunt conſequuti.

Die Mercurij, qui XXI. erat menſis Iullij, poſt miſſæ celebrationem venit Dux Venetorum indutus veſte ex panno aureo, cui ſuperindutum habebat pallium eiuſdem cultus, auro clauatum, & in capite Ducale diadema, & cum eo centum & viginti Senatores, induti veſtibus ex ſerico raſo, vel vngulato rubro coccineo, quinquagenarij, ſexagenarij, aut ſeptuagenarij ferme omnes: Bucentauro vecti fuerant ad regis palatium: Rex ex cubiculo deſcendens hãc ingreſſus eſt, cum Legato Papæ, Ducibus, Venetorum, Sabaudiæ, Ferrariæ, Niuerniæ, Legatis, Senatoribus, vt veniret in palatium Diui Marci: præcedebant lembi in quibus tympaniſtæ, tubicines, et deputati ad cuſtodiam maieſtatis vehebantur: ſequebantur gondulæ coopertæ ſerico raſo, vel vngulato rubro, in quibus erant Franci. Ante Diui Marci palatiũ ſuper naues pons, qui in mari excurrebat, longus centum pedibus, latus ſexdecim extructus erat, coopertus, & ſtratus pannis oſtrinis, in fronte duæ pyramides affabrè factæ: in lateribus pila, vel columellæ pannis fuluis, & cæruleis ornatæ, hædera, & auro ſicto circundatæ: a ponte ad ædes vſque Diui Marci, via omnis eòdem modo ornata & ſtrata: Reuerendus Venetorum Patriarcha cum clero, & ſex Diui Marci Procuratores vmbraculum portantes, regem ex Bucentauro deſcendentem exceperunt: qui cum vmbraculum ſubijſſet, præceden-

te, clero, principibus, & Senatoribus ſequentibus, deductus eſt in Magnificas illas ædes marmoreas, Diuo Marco tutellari Reipub. conſecratas: eas cum ingrederetur, duorum organorum ſonus bene compoſitis cum illis tum inſtrumentis, tum vocibus omnium tenebat aures: Interim Rex ante altare maximum, reuerendum propter ſacroſanctam Euchariſtiam, admirandum propter Reipub. theſaurum ibidem in ornamentum expoſitum (qui cum Arabum Gazis et Perſarum opibus comparari poſſet) in genua procidit, ibique orans permanſit, quandiu clerus Deum propter eius aduentum laudauit, & pro eius ſalute Patriarcha orauit: erat tamen ſedes altera ornata panno aureo, ſub thenſis eiuſdem cultus, argento fimbriatis: Cum finem precandi feciſſent, deductus eſt Rex in palatium Diui Marci, eumque ſequuti ſunt Legati Papæ, Dux Venetorum, Duces, Sabaudiæ, Ferrariæ, Niuerniæ, alij Legati, Nobiliores Franci, & Senatores Veneti, quos ſi Cyneas vidiſſet verè quidem non Senatores, ſed reges ſe vidiſſe referre potuiſſet: Neque enim vllus erat qui aſpectu, et ornatu regiam maieſtatem præ ſe non ferret. Duo parata erant cubicula & extenta peripetaſmate ex panno aureo facto: in hæc Rex ſe recepit: Interim Senatores cum Francis multis ingreſſi ſunt aulam maximam palatij, quam aulam maximi conſilij appellant, vbi vniuerſum Venetæ nobilitatis corpus ſolet conuenire ad Magiſtratus eligendos: extenta tum erat corio deaurato, ibique menſæ ſtratæ mappis, & mantilibus floribus lilij variatis: Salinæ, lances, maponoma, patinæ, & omnia vaſa argentea, nulla incoctilia. In extrema parte aulæ menſa regia, quaſi ſuper theatrum eleuata, ſub thenſis ex panno

aureo,

aureo, fimbriatis argento: aulæum ex ſerico raſo intexto floribus lilij: ſub pedibus tapeta maximi pretij. In altera parte huic oppoſita, abacus ingentis magnitudinis, ſuper quem expoſitæ pateræ, cratera, aquales, & multa vaſa tum aurea tum argentea. Cum vero Rex pranſurus ex cubiculo veniſſet, viginti homines, qui inſtruēdæ menſæ ciborumque apponendorum curam habebant, ïnduti villuto nigro prætexto argento, cibos deferri iuſſerunt. Accubuit Rex in medio menſæ ſuæ, & ex vtroque latere, Legatus Papæ, & Duces. accubuerunt alijs menſis Senatores Veneti, & Franci: Erant etiam in aula ſcrutinij ſtratæ menſæ, ad excipiendos conuiuio tum Francos tum Polonos, tum etiam extraneos omnes, vbi locus erat pluribus vmbris: appoſiti cibi delicati, quos ſtructores qui ſingulis menſis aſtabant decoro manuum geſtu diſcerpebant. Lautum, opiparum, & dubium fuit prandium, Nec in eo deſiderari quidquam potuit: gratus auribus concentus vocum, & inſtrumentorum: Delicati palato cibi exquiſitiſſimi: ſuauis odor aquarum ſuffitarum, quibus ablucebantur manus: aſpectu pulcherrima tot vaſa aurea, & argentea ſuper abacum expoſita: grata mollis ſeſſio, et accubatio. a prandio vero deductus eſt Rex in armamentarium decem virorum, cuiuſuis generis armorum refertiſſimum, in quo nihil non affabrè, non eleganter fabricatum aſſeruatur. Inde reuerſus eſt in aulam, atque cum ſediſſet in loco vbi pranſus erat, dij & deæ ante illius pedes aſtiterunt, ſecum Orphæos, & Amphiones ducentes: quiſque regi dona ſua offerre volebat. Iuppiter ſenſum rectum, & modum regendi populos: Mars fortitudinem, & in armis dexteritatem: Mercurius cum prudentia coniun-

ctam ſermonis ſuauitatem: Pallas ſapientiam: Iuno diuitias: Venus corporis pulchritudinem: Denique vt in Pandoram illam poeticam omnium deorum dona collata fuiſſe ferunt, ſic mihi videbantur omnia ſua dona in vnum Henricum conferre velle: Sed cum neque animi, neque fortunæ, neque corporis bona deeſſe viderent, vocibus & cuiuſuis generis inſtrumentis muſices bene inter ſe compoſitis, & concordantibus, admirabili inuentione concentuque vocum, & neruorum, ſine vlla offenſione conſonantium, verſibus Italicis regias Henrici laudes decantarunt: Per quam harmoniam nihil aliud meo iudicio ſignificare voluerunt, quam in rege eſſe conuenientiam concentumque virtutum: His finitis Rex a Duce, & Senatoribus in palatium regium reductus eſt, non ſine magna tormentorum bellicorum eiaculatione.

Die ſequenti inuitatus eſt Rex a iuſtiſſimo integerrimoque viro Ioanne Grimano Aquileienſi Patriarcha, vt palatium ſuum videret, quod vnum ex præcipuis totius Italiæ pallatijs iudicatur, tum propter marmoris quo extructum eſt raritatẽ, tum propter ſummorum virorum qui Romæ, & in alijs locis floruerunt ad viuum expreſſas priſca arte imagines, ſtemmata maiorum, ſigna ſumma arte elaborata, tabulas pictas, toreumata, vaſa artificioſè cælata, omnes denique res quas egregij ſculptores ac pictores elaborarunt diligentiſimè conquiſitas & ibi aſſeruatas. Sed antequam in hoc palatium iret Rex amice, & familiariter paucis ſequentibus, & quaſi clanculum Ducem Venetorum inuiſit, nihil minus quam regem expectantem, & cum eo per aliquot horas familiariſſime eſt confabulatus, neque diſcedens

per-

permittere voluit, vt Dux ei comitatum præberet vltra littus maris, vbi cum agnitus fuisset cum ingenti bombardarum strepitu salutatus fuit. Inde venit in palatium clarissimi Grimani vbi conuenerant ferme quinquaginta nobilissimæ mulieres, indutæ pannis aureis, vel argenteis, ornatæ gemmis, & margarittis, quæ cum optimis saltatoribus choreas ducebant: ab omnibus his nymphis Rex, quasi alter Apollo salutatus, sedit in loco sibi magnifice ornato, atque cum inuitaretur, vt choreas duceret, summam vultu lætitiam simulans premens tamen ob mortem charissimi fratris altum corde dolorem, per Ducem Ferrariæ qui semper cum eo erat, se excusauit, post saltationes allata sunt bellaria, placentæ nucleis amygdalinis, & saccharo confectæ, tragemata, & dulciaria cuiusuis generis: Antecœnium hoc, & rege & magnifico Grimano qui parari iusserat dignum fuit.

Die Veneris post missæ celebrationem, Rex officinas opificum, & mercatorum, & præcipue vicum frequentissimum omnis generis mercium refertum (quem Merceriam vulgus appellat) videre voluit cum paucis, & multis incognitus. Inde (etiamsi nihil minus quam de eius aduentu cogitasset) de improuiso venit in palatium Domini Ferrerij summæ sapientiæ, & integritatis, egregiéque cordati viri. Cuius fides cum omnibus in rebus perspecta semper fuerit, tum vel maximè in hac qua pro rege apud Venetos legationi fungitur, comprobata: In qua ita res totius regni Francici agit, vt nec in maxima senectute labori, nec in summo bonarum artium, & præcipue diuinarum litterarum studio in quo consenescit diligentiæ parcat, nec vlla in re suo officio desit: charus regi, & patriæ, charus Venetis, charus

bonis

bonis omnibus: Apud eum Rex pranſus venit in palatium Diui Marci, vbi Veneta nobilitas conuenerat ad comitia, ut pro ſupplendo numero Senatorum illius ordinis quem conſilium rogatorum appellãt, in quo ſumma eſt Reipub. authoritas, vnũ eligerent. Cum Rex ſediſſet in loco excelſo, ornato, & ſtrato, allatæ ballotæ (ſunt vero ballotæ pillulæ, quibus in iudicijs ac ſuffragijs vtuntur, ſicuti Romani lapillis albis, & nigris, atque etiam litteris vti conſueuerant) incluſæ petaſo. Rex ex triginta ballotis aureis vnam ſumpſit, & nominauit Iacobum Contarenum, præſtantem conſilio virum, qui, cum itum fuiſſet in ſuffragia, vnanimi omnium conſenſu electus eſt Senator ordinis rogatorum, & præpoſitus alijs ſeptem candidatis: Atque cum Contarenus ob tam ſingulare beneficium gratias habiturus, ad Regis genua acceſſiſſet: Non eſt (inquit Rex) quod mihi gratias habere cogites, Senatui præſtantiſſimo hoc beneficium acceptum referre debes, qui tuam virtutem agnouit, & hac Senatoria dignitate exornauit. Eo die venerunt Dux Mantuæ, et magnus Prior Franciæ, quos Rex humaniſſimè, Senatus ſummo cum honore excepit. A cœna aduecta ante regium palatium barca, in cuius puppi tentorium erat, vbi citharœdi, & cantores, in prora mons, in quo crater, hoc eſt foramen, per quod ignis, ſicuti in monte ætna magno impetu euomebatur: atque cum mons ille totus exarſiſſet, quidam iuuenis è tentorio exiliens, flammas extinxit: Neſcio quid boni animus mihi præſagire cœpit, et per hæc ſignificari dixi, Henricum tertium ex tentorio hoc eſt regno Poloniæ exilientem, flammas belli ciuilis quibus penè tota exarſit Francia, incendium inteſtinæ, & miſerandæ ſeditionis, quo

penè

penè consumpta est extincturum, & ira ardentes scauientesque inter se francorum animos, sedaturum: atque vtinam nec mea vana sint auguria, Deusque dederit vera dicere.

Die sequenti regi nauale ostensum est totius orbis pulcherrimum, circuitus duorum milliariorum, in quo nauium tecta sunt circiter sexaginta, singula capacia triremis vnius, & biremis, atque etiam fabrorum naualium (nam ibi sunt mille & ducenti magistri quibus perpetuo stipendia de publico procedunt) qui eas commodè, aut ædificent, aut quassatas reficiant: ibi aulæ sunt plurimæ, in quibus reseruantur tormenta bellica propemodum infinita, spolia Turcarum, & omnia ad maritimas expeditiones necessaria: fussæ ante regem Bombardæ tres huicque ostensa sunt armamentaria duo, quæ duæ magnæ aulæ armorum vocantur, vbi arma sunt triginta hominum millibus armandis sufficientia: Interim parabatur merenda in aula media inter armamentaria vbi mensa regia strata sub thensis aureis: mantilia in diademata, coronas, mittras, admirabili artificio plicata, & quod admirabilius est, nec alias visum, ex puro saccharo facta: forcipes, cultelli, maponoma, lances, ex saccharo: Mensa onerata erat bellarijs, placentis ex nucleis amygdalinis, & saccharo confectis, tragematibus, & cuiusuis generis dulciariorum, quibus omnibus oneratæ etiam erant francorum mensæ. Post merendam cum Rex Venetorum nauigia vidisset, gondulam ingressus est, vt in palatium reuerteretur, sed hunc ne insalutatus discederet ingenti bombardarum strepitu euntem sunt prosequuti: Cumque se in aulam suam recepisset duo insignes gladiatores ense solo obtuso, & post eos duo nobiles iuuenes ad arma

aptißimi ſumma cum dexteritate dimicarunt.

Cum die Dominico Dux Venetorum cum Senatoribus manè regẽ inuitaſſet, ut a prandio in palatium D. Marci ueniret, ubi nobiliſſimæ Venetorum uxores choreas ductura erant, atq; rurſus a prandio in palatium regis cum Senatoribus Bucentauro uectus fuiſſet, hanc Rex ingreſſus, uenit ſicuti promiſerat, in palatium Diui Marci, ubi centum & nonaginta nobiliſſimæ mulieres, eximiæ pulchritudinis, conuenerant: Penè omnes indutæ erãt veſtibus ſericis armeſinis albis, ſericis raſis, uel ungulatis per paucæ. Veſtes neque auro, neque argento prætextæ, hoc enim cantum fuerat a Senatu, ſicut etiam permiſſum non erat veſtibus indui alterius coloris, quam albi. Conceſſum tamen illis fuerat margaritis, unionibus, adamãtibus, hiacinthis, robellionibus, amethyſtis, et aliis gẽmis ſe exornare: neque ipſæ priuilegio ſibi eo die conceſſo renunciarant: quas enim in arca precioſiſſimas gemmas quæque habuit, margaritas, torques, armillas, muræ nulas, colli ornamenta, ea recluſit, illis ſeſe ornauit. nulla in ſe exornanda, mollienda, concinnanda, calamiſtranda, aut tempori, aut labori, aut diligentiæ pepercerat, nec nitidum parca compſerat arte caput. Crines in uertice capitis nodati, adamantibus precioſiſſimis, margaritis, & aliis gemmis diſtincti, circa tempora creſpati, et ex omni parte bene compoſiti: Multæ etiam coronas ex gemmis, & margaritis factas portabant: collaria rugarum, ſub quibus eburnea colla apparebant, cooperta gemmis, & unionibus: muremulæ, uel ornamenta colli ex margaritis, inter quas ſuper guttur pendebant nonnullæ æquè magnæ ac nuclei paruæ anelanæ, quæ ſuper criſtam capitis maiores erant: Torquibus aureis appenſæ

cruces

cruces gemmes: Armillæ, & cinctus facti ex diuersis gemmis: ad pectoris ornamentum vestibus intexti adamantes, hiacinthi, robelliones: Talis denique omnium cultus erat, tantus ornatus, ut nullus fuerit qui non iudicarit, vnam ex minus splendidè ornatis, tot gemmas, & margaritas quadraginta millibus aureorum vix comparasse: erant qui vnius ex præcipuis cultum & ornamenta ducentis millibus aureorum, & pluris æstimabant. Visum in illis singulare naturæ & artis certamen: in multis tamen natura ipsa arte superior fuit iudicata: nam tanta pulchritudo erat, tam apta membrorum compositio, tam conueniens figura, tã suauis color, tam admirabilis venustas, vt nihil supra. Rex ingrediens antequam sederet in loco magnificè ornato, & eleuato, illas omnes vnam post alteram est contemplatus: qui cum vrbanè ab illis salutaretur, ipse, qui nulli vrbanitate est inferior, pileolum in manu tenens eas resalutabat. Atque cum sedisset in loco sibi ornato lento gressu & graui, cum apto totius corporis motu, nobilissimæ mulieres choreas ducebant, quas binas ducebant singuli nobiles. Postea egregij saltatores admirabili alacritate, & pedum volubilitate ad numerum saltantes, quid in choreis possent demonstrarunt: Interim aulam scrutinij vbi merenda præparata fuerat ingressæ sunt, quas tres (quæ cum saltatoribus ante regem choreas ducebant) sunt sequutæ. Aula extenta erat, aulæo floribus lilij variato, mensa regia sex gradibus eleuata sub thensis ex panno aureo, argento fimbriatis, sub pedibus tapeta pretiosa: Mensa regia circundata deorum & dearum statuis cubitalibus, leonibus, aguilis, nauibus, ex puro saccharo factis, onerata erat bellarijs, placẽtis ex nucleis amygdalinis, et saccharo confe

ctis, tragematibus & cuiuſuis generis dulciariorum. Inter deas vna ante ſedem regiam, duobus leonibus inſidens, duas coronas porrigebat, per quas duo regna ſignificabant. Tres aliæ menſæ quibus accumbebant nobiliſſimæ fœminæ, ſtatuis deorum ac dearum etiam ſacchareis circuudatæ erant, & oneratæ bellarijs placentis, & dulciarijs. poſt merendam Rex more ſolitó ſalutatus cum bombardis, in palatium ſuum Bucentauro vectus fuit.

Die Lunæ cum Rex apud Legatum ſuum Dominum Ferrerium pranſus eſſet, venit in palatium Ioannis Foſcareni, ante quod inter Caſtellanos, & Nicolaitas (qui ita a duabus vrbis partibus quas incolunt appellati ſunt) certamen ineundum erat. ibi pons eſt in modum arcus ac fornicis concameratus, cuius qui medium occupaſſent (vbi triginta homines ſtare poterant) victores futuri erant. Pro partibus Caſtellanorum ſuper fundamenta, verſus ædes Carmelitarum, homines circiter ducenti ſtabant. Pro partibus Nicolaitarum, verſus ædes Foſcareni, ferme totidem: Omnes armati erant ægide, aut lorica, gallea, aut caſside: pro clipeo pallium, pro enſe nodoſos baculos, & cuſpidatos habebant, quibus crura & oculos impetebant: Vbi ergo regem ex feneſtra conſpicientem viderunt, Caſtellani quinquaginta qui primi pugnaturi erant, pontem occuparunt: alij quaſi ſuccenturiati ſuper fundamenta ſtabant: erant & triarij ordine tertio pugnaturi: Eodem etiam ordine illa quaſi acies Nicolaitarum diſpoſita erat: qui cum viderent Caſtellanos iam medium pontem occupaſſe, tãto impętu irruerunt vt cedere eos compullerint, multis in aquam ex ponte decidentibus, qui armati, & ſæpe etiam vulnerati, natabant: ſic viſa quaſi renaſcens in multis vnius

Coclitis virtus. Castellani tamen animos resumentes, ictibus baculorum tundentes & crura & tibias Nicolaitarum, eos referre pedem coegerunt: Sed secundò pontem animosè occuparunt Nicolaitæ, alios vsque ad fundamenta vbi secundus ordo erat repellentes: at cedere rursus coacti fuerunt. Tum ira incensi animi erant, videbanturque pro aris & focis, non de occupando ponte pugnare, sic tertiò pulsi sunt Castellani, resque eorum ad triarios venisse videbantur, cum igneſcunt iræ, & duris dolor ossibus ardet, atque concursu, & impetu magno facto Castellani Nicolaitas excutiunt, ac de ponte deturbant. Tum vero Rex ne iræ longius procederent nœue sœuirent animis inter se, finem certamini imponi voluit, cum per tres horas ancipiti Marte dimicassent. Inde in palatium Rex se recepit.

Die Martis cum Rex discedere proposuisset, per dominum Ferrerium, quadraginta iuuenes Venetos ad se venire voluit, quibus declarauit quam grata & accepta essent obsequia erga maiestatem suam præstita, quorum se non immemorem futurum pollicitus est. Tum Matthæus Zannæus, nobilis imprimis ac disertus, ad hoc ab omnibus alijs deputatus, regem Italicè (quæ ego latina feci) ad hunc ferme modum affatus est. Nullus nostrum est (Rex Christianißime) qui illum diem, inter omnes alios, sibi optatum ac fœlicem contigisse non iudicet, atque meliore capillo numerandum non putet, quo ab amplißimo Senatu, florentißimaque nostra Repub. nominatus, & electus est, vt vestræ maiestati inseruiret: qua re nihil in tota vita optabilius, contingere nobis omnibus poterit. Et quanuis graue nobis omnibus, & molestum sit, nos tanti, tamque præstantis regis seruitio mi-

nus

nus idoneos, & aptos fuisse, quam maiestas ac dignitas regia postulabat: nos tamen inuicem consolamur, & in hoc maximè fœlices iudicamus, quod talem regem nacti sumus, qui candore quodam & lenitate animi, qui incredibili & plusquam regia humanitate, si quid minus diligenter & conuenienter factum est, excusare soleat, atque etiam cuiusque voluntatē potius quam aptitudinem laudere: Vnde speramus, si aliqua in re nostro officio deffuimus, si minus diligentes & assidui visi sumus, nos facile non tantum veniam impetraturos, sed etiam, in vestra mansuetudine confidentes, istud consequuturos, quod votis omnibus desideramus, vt scilicet ex humilioribus maiestatis vestræ (cui nos totos denouemus & consecramus) seruis habeamur. Tū vero Rex, inter maximos (inquit) honores, quos mihi hæc vestra Respub. detulit, vnus mihi gratissimus, & singularis fuit, quod vos, ex clarissimis ortos familijs, & omnibus virtutibus ac singulari quadam vrbanitate ornatos, meo seruitio destinauit: in quo cum sciam vos omnes ita intentos fuisse, vt neque diligentiam, neque assiduitatem, neque vrbanitatem maiorem in meos omnes desiderare potuerim: cupio vestra omnium cognomina describi, mihique dari, vt perpetua sit apud me meosque omnes vestri in me obsequij memoria. Zanæus cum gratias habuisset, regis manuum est osculatus, quem alij sequuti sunt, non sine lachrymis. Posthæc cum Rex missæ celebrationi interesset, Serenissimus Dux Venetorum cum Senatu, venit in regium palatium. Celebrata missa ad illum Rex conuersus: Oblati mihi sunt (inquit) princeps Serenissime, libelli supplices, vt ueniam consequerētur nonnulli carcere vestro detenti, quam per me se consequi posse spe-

rant,

rant, & consident. Ego vero nulla in re huius florentissimæ Reipub. statum perturbare cupiens, aut ordinem iudiciorum inuertere, eos libellos legato meo relinquo, vt eæ preces exaudiantur, quæ iustæ videbuntur: & si æquum est, aut saltem non perniciosum vestræ Reipub. in mei fauorem pœna illis remitatur. Tum Serenissimus princeps, nostra (inquit) Respub. nihil magis desiderat quam tuæ voluntati ac desiderio satisfacere. Rex descendens ex cubiculo, omnibus exclusis, cum Duce Veuetorum gondulam suam ingressus est: cogitet quisque qui duorum summorum principum, & tantorum virorum sermones esse potuerint. Sequebantur septuaginta gondulæ quibus vehebantur Senatores, & aliæ quadraginta, in quibus erant iuuenes Veneti: omnes eodem modo ornatæ quo cum obuiam regi processerant. Discedentem regem tantis clamoribus, & bombardarum eiaculationibus sunt prosequuti, vt viderentur non extraneum principem, sed suum regem amittere: Ita illius regis humanitas, & facilitas omnium animos ad se rapuerat. Cum Lizzafusinam appulissent, quinque milliaribus ab vrbe, dati regi vltimi amplexus, qui omnes uirtutes regias laudantes, et liberalitatem prædicantes contentos dimisit, & vix sustinuit dicere lingua uale. Ecce vero cum Dux gondulã ingredi vellet, vt reuerteretur, nouum prædicandæ liberalitatis regiæ argumentum: Nam a rege principi missus est adamas, maximi pretij ac valoris. Hunc dono dedit Duci in perpetuæ bẽneuolentiæ pignus. Post regis discessum Dominus Ferrerius singulis qui regi inseruierant dona dedit.

FINIS.

In labore gloria.